

ventionem, quæ ad omnem desideratur contractum, in se contineat, inter dantem & accipientem arrhas hoc convenisse censetur, ut accipiens eas habeat, & retineat usque dum a dante contractus fuerit perfectus, aut completus, & si is perficere aut completere contractum recuset, tum arrhas perdat; si vero accipiens à conventione resilierit, tum duplicitas reddat: sed præter conventionem hanc arrha etiam synallagma, quod constituit contractum, continet, dationem videlicet, ut quid fiat, quod synallagma esse, testatur Justinianus in l. 7. §. 2. ff. de Pract.

## XII.

Hanc sententiam adeo veram esse nonnulli credunt, ut arrham definire non dubitent, quod sit, æque ac pignus, contractus verus, re initus, accessorius, &c. Rittersh. ad pr. Inst. de Empt. & vend. Unde Locamer. in disp. de Caus. Actionum. thes. 98. notandum, scribit, quod præter istos (qui scil. in t. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. continentur) sint etiam alij contractus, qui re contrahuntur: veluti dotis datio, l. 23. de R. I. Arrhæ datio, l. 17. C. de fide Instrum. & contractus innominati quicunque.

## XIII.

Præsupposita hac sententia, ulterius disputant Dd. An Arrhæ datio sit Nominatus, an vero Innominatus Contractus? Sichardus Arrhæ dationem ad Nominatorum classem refert, in l. 1. C. quand. liceat ab empt. reced. num. 10. ibi: Arrharum autem datio per se est contractus Nominatus. eundemque Cujacius ac alii appellant Contractum Arrhabonicum, II. obs. cap. 17. alii Arrhalem. Joh. Althus. lib. 1. dicæolog. cap. 66. num. 22. Sed hanc sententiam reiicit, & Arrham Innominatis contractibus annumerat Azo, in d. l. contractus. C. de fid. Instrum. & Baldus, in l. 2. C. quod. liceat ab empt. reced. num. 2. & 3. quos sequitur Bertazolius, tr. de claus. claus. 31. gl. 7. num. 3. Christinæ. vol. 3. decis. 70. num. 2. Anton. Faber, in ration. ad l. II. §. 6. inf. ff. de Act. empt. & Donell. ad l. contractus. C. de fid. Instrum.